



Quas quia Pygmalion aeuum per crimen agentis  
 uiderat, offensus utiis, quae plurima menti  
 femineae natura dedit, sine coniuge caelebs  
 uiuebat thalamique diu consorte carebat.  
 interea niueum mira feliciter arte  
 sculpsit ebur formamque dedit, qua femina nasci  
 nulla potest, operisque sui concepit amorem.  
 uirginis est uerae facies, quam uiuere credas,  
 et, si non obstet reuerentia, uelle moueri:  
 ars adeo latet arte sua. miratur et haurit  
 pectore Pygmalion simulati corporis ignes.  
 saepe manus operi temptantes admouet, an sit  
 corpus an illud ebur, nec adhuc ebur esse fatetur.  
 oscula dat reddique putat loquiturque tenetque  
 et credit tactis digitos insidere membris  
 et metuit, pressos ueniat ne liuor in artus,  
 et modo blanditias adhibet, modo grata puellis  
 munera fert illi conchas teretesque lapillos  
 et paruas uolucres et flores mille colorum  
 liliaque pictasque pilas et ab arbore lapsas  
 Heliadum lacrimas; ornat quoque uestibus artus,  
 dat digitis gemmas, dat longa monilia collo,  
 aure leues bacae, redimicula pectore pendent:  
 cuncta decent; nec nuda minus formosa uidetur.  
 conlocat hanc stratis concha Sidonide tinctis  
 adpellatque tori sociam adclinataque colla  
 mollibus in plumis, tamquam sensura, reponit.  
 'Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro  
 uenerat, et pandis inductae cornibus aurum  
 conciderant ictae niuea ceruice iuuencae,  
 turaque fumabant, cum munere functus ad aras  
 constitit et timide "si, di, dare cuncta potestis,  
 sit coniunx, opto," non ausus "eburnea uirgo"  
 dicere, Pygmalion "similis mea" dixit "eburnae."  
 sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,  
 uota quid illa uelint et, amici numinis omen,  
 flamma ter accensa est apicemque per aera duxit.  
 ut rediit, simulacra suae petit ille puellae  
 incumbensque toro dedit oscula: uisa tepere est;  
 admouet os iterum, manibus quoque pectora temptat:

temptatum mollescit ebur positoque rigore  
subsedit digitis ceditque, ut Hymettia sole  
cera remollescit tractataque pollice multas  
flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.  
dum stupet et dubie gaudet fallique ueretur,  
rurus amans rursusque manu sua uota retractat.  
corpus erat! saliunt temptatae pollice uenae.  
tum uero Paphius plenissima concipit heros  
uerba, quibus Veneri grates agat, oraque tandem  
ore suo non falsa premit, dataque oscula uirgo  
sensit et erubuit timidumque ad lumina lumen  
attollens pariter cum caelo uidit amantem.

Ovide, *Métamorphoses*, Ier siècle ap. J.-C.